

ostendantur non eidem adversari. *Tertio non possumus assenti-
ri sententiæ Cartesianorum, qui cum Groenewegio asserunt, im-
possibile esse primum peccatum initium habuisse ab Errore in in-
tellectu, ex falsa scil. illa hypothese, quod Mentis ac iudicii Error,
qui primus huius peccati gradus fuit, non ad Intellectum, ut vul-
gò fit, sed ad voluntatem referendus sit, cum iudicare sit velle, in-
que eo Error committatur, cum Iudicium ultra perceptionem in-
tellectus se extendat & sine prævia luce ejus aberrret. Adde ab-
surda Behmii, quæ recitasse est refutasse scribentis: de tri-
plici vita cap. 11. *Lapsus Adami erat talis. Anima ipsius imagina-
tione suâ appetebat externum ignem pro generationis, nimirum spiri-
tum huius mundi, & inde se à DEO avertibat, cupiebatque in propria
qualitate vivere, atque in ea sese exserere Dominum. Et antea cap. 1.
Nostra anima in parentibus primis admodum obstupescendus est lapsus;
quod in spiritum huius mundi ingressi sunt, in alienum plane hospitium,
unde deseruit lumen divinum, in quo ipse angelus & DEI filius erat, cu-
piebat vivere in proprio dominatu. In explicatione globi Philoso-
phici: Gravis lapsus Ada se exserit, qui imaginatione suâ diabolum
imitatus erat, & multitudinem huius mundi appetitu suo appropriarat.
Ille sapere cupiebat, & multum sciolitis accipiebat, ac simul terre-
nam & infernalem proprietatem in suâ præcocitate. Porro addit: pec-
catum non seipsum facit, sed voluntas eius est factrix, quum proveniat
ab imaginatione in spiritum: etenim spiritus rem ingreditur, & ab ea
re infectionem accipit. Et illico: Omne illud peccatum est, quodcun-
que expetit externum in voluntatem inducere. Psychol. quæst. 15.**

CAP. IX.

DE STATU HOMINIS.

*Quomodo Verba illa Gen. 3. v. 19. Pulvis es, &
in pulverem reverteris, sint accipienda?*

Photiniani & Pontificij ex illis verbis deducere conantur homi-
nem conditum esse mortalem, quia dicatur pulvis ex origine.
Verùm non solidè, tum quia posito quod ad originem hic respi-
ciatur, non est consequens, qui est pulvis ratione originis, ille ne-
cessario